



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Iudicis timor, 4

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

C A P V T I V.

Iudicis timor.

1. **D**Eus deorum, Domine præstabilis super malitia; novi, quia manifestus venies; novi, quia non semper silebis, cum in conspectu tuo ignis exardescet, & in circuitu tuo tempestas valida ingruerit; cum advocaveris cælum desuper, & terram discernere populum tuum. Et ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ; tot agminibus Angelorum patebunt universa scelera mea, non solum actuum, sed etiam cogitationum, simulque loquutionum. Tot iudicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono. Tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene vivendi exemplar. Tot convincat testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seque imitandos justis dederunt actionibus. Domine mi, non suppetit, quid dicam: non occurrit, quid respondeam. Et cum jam intersim salvo illi discrimini, torquet me conscientia, cruciant cordis arcana, coarctat avaritia, accusat superbia, consumit invidia. Inflammat concupiscentia, infestat luxuria, dehonestat gula, ebrietas confutat; detractio lacerat; ambitio supplantat, rapacitas objurgat, discordia dissipat, ira perturbat, lenitas dissolvit, torpor opprimit, hypocrisis fallit; adulatio frangit, favor attollit, calumnia pungit.

2. Ecce, liberator meus de gentibus iracundis.

cundis. Ecce cum quibus vixi à die nativitat-
 tis meæ, quibus & studui, quibus & fidem
 servavi. Ipsa me, quæ dilexeram, studia
 damnant; quæ laudaveram, vituperant. Hi
 sunt, quibus acquievi, amici; quibus parvi,
 magistri; & quibus servivi, domini: Con-
 sules quibus credidi, cives quibus cohabita-
 vi, domestici quibus consensi. Heu mihi,
 Rex meus & Deus meus: quia incolatus
 meus prolongatus est. Væ mihi, illuminatio
 mea, qui habitavi cum habitantibus Cedar.
 Et cum David sanctus dixerit multum, quan-
 to magis ego infœlix dicere possum, Nimis
 incola fuit anima mea; Firmamentum Deus
 meus, non justificabitur in conspectu tuo
 omnis vivens. Spes mea non est in filiis ho-
 minum. Quem, si remota pietate judicave-
 ris, justum invenies? Et nisi præveneris mi-
 serando impium, non est qui glorificet pium.

3. Credo namque, salus mea, qui audivi
 quoniam benignitas tua ad poenitentiam me
 adducit; tui oris mihi sonuerunt nectarea
 labia: Nemo potest venire ad me, nisi Pa-
 ter meus, qui misit me, traxerit eum. Enim-
 vero quia me instruxisti, tanquam propi-
 tius instructione formasti, totis medullis
 cordis, toto nisu mentis, rogo te omnipo-
 tens Pater, cum dilectissimo Filio tuo, teque
 dulcissima proles, cum serenissimo invoco
 Paraclete, trahe me, quatenus post te cur-
 ram in odorem unguentorum tuorum dul-
 citer.